

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola I. Gregorii Papae VIII. Ad Omnes Christi Fideles. De clade  
Hierosolymitana. Omnes ad poenitentiam agendam admonet: &  
proficiscentibus ad bellum contra infideles plenariam indulgentiam ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

## GREGORII PAPÆ VIII. EPISTOLÆ. 13

decimo septimo Kalendas Ianuarii pontificatus sui die 57. Successit, inquit Vrspergensis, Vrbano in sede apostolica Gregorius octauus natione Beneuentanus. Sedit menses duos. Hic primum literas transmisit in orbem pro libera-  
tione terræ sanctæ, multa statuens de correctione morum tam in clero quam in populo, vt pote de superfluitate vestium & choreis & aliis vanitatibus vitandis. *Hæc Vrspergensis.*

Obitus Gre-  
gorii VIII.

### EPISTOLA I.

## GREGORII PAPÆ VIII.

AD OMNES CHRISTI FIDELES.

De clade Hierosolymitana. Omnes ad poenitentiam agendum admonet: & proficiscentibus ad bellum contra infideles plenariam indulgentiam concedit,

*Gregorius episcopus seruus seruorum Dei uniuersis Christi fidelibus  
ad quos literæ istæ peruerent salutem & apostolicam  
benedictionem.*

**A**VDITA tremendi seueritate iudicii, quod super terram Ierusalem diuina manus exercuit, tanto sumus nos & fratres nostri horrore confusi, tantisque afflitti doloribus, ut non facile nobis occurreret quid agere aut quid facere deberemus, nisi quod Psalmista deploret, & dicit: *Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam: Psalm. 78.*  
*coiquinauerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, & escas volatilibus cæli, &c.* Ex occasione quippe dissensionis, quæ malitia hominum ex suggestione diaboli facta est nuper in terra, accessit Saladinus cum multitidine armatorum ad partes illas, & occurrentibus eis rege, & episcopis, & templariis, & hospitalariis, baronibus ac militibus cum populo terræ, & Cruce dominica, (per quam ex memoria & fide passionis Christi, qui pependit, & genus humanum redemit, certum solebat esse tutamen, & contra Paganorum incursus desiderata defensio) facta congreßione inter eos, & superata parte nostrorum, capta est Crux dominica, trucidati epi-

B iii

## 14 GREGORII PAPÆ VIII.

scopi , captus est rex , & vniuersi fere aut occisi gladio , aut hostilibus manibus deprehensi , ita vt paucissimi per fugam dicantur elapsi . Ipsi quoque Templarii & Hospitalii in eius oculis decollati . Superato autem exercitu , qualiter subsequenter inuaferint & rapuerint vniuersa , ita vt non nisi pauca loca remansisse dicantur , quæ in eorum non deuenerint potestatem , non credimus nostris literis explicandum . Nos autem licet cum propheta dicere habeamus : *Quis det capiti meo aquam , & oculis meis fontem lacrymarum , & plorabo nocte ac die interfectos populi mei?* non tamen adeo deiicere nos debemus , vt in diffidentiam decidamus , & credamus Deum ita populo suo iratum , vt quod communium faciente multitudine peccatorum fieri permisit iratus , non cito per misericordiam poenitentia placatus alleuieret , & post lacrymationem & fletum exultationem inducat .

*Quisquis* sane in tanta lugendi materia , si non corpore , saltem corde non luget , non tantum fidei Christianæ , quæ cum omnibus dolentibus docet esse dolendum , sed ipsius & humanitatis nostræ oblitus : cum ex ipsa periculi magnitudine ac feritate barbarica Christianorum sanguinem sitiente , ac totam suam in hac apponente virtutem , vt profanare sancta , & titulum Dei valeant auferre de terra : quod nos tacemus , discretus quisque valeat aestimare . Sane cum prophetæ toto prius studio laborauerunt , postmodum apostoli , & sequaces eorum , vt diuinus cultus esset in terra illa , & ad omnia climata mundi ex ea deflueret , imo , quod maximum & ineffabile est , Deus , qui voluit incarnari , per quem facta sunt vniuersa , per ineffabilem sapientiam & incomprehensibilem misericordiam suam , per infirmitatem carnis , esuriem , siti , Crucem , & mortem , & resurrectionem , salutem nostram ibi voluit operari , iuxta quod dicitur : *Qui operatus est salutem in medio terræ:* per seipsum ad hoc dignatus est laborare , nec lingua dicere , nec sensus cogitare potest , quantum nobis & vniuerso dolendum sit populo Christiano , quod id nunc perpetua est terra illa , quod sub veteri populo legitur pertulisse . Nos autem credere non debemus , quod ex iniustitia iudicis ferientis , sed ex iniquitate potius populi delinquentis ista prouenerunt , cum legamus , quod quando

Ierem. 9.

Psal. 73.

populus conuertebatur ad Dominum , persequebatur v-nus mille , & duo fugabant decem millia : imo , ipso populo quiescente , exercitum Sennacherib angelica manu consumptum . Sed & terra illa deuorauit habitatores suos , & nec diu habere quietum statum , nec transgresores legis diuinæ potuit retinere : doctrinam & exemplum tribuens illis qui ad cælestem Ierusalem intenderent , quod non possunt ad eam nisi per exercitium boni operis & per tentationes plurimas peruenire . Potuerunt autem ista timeri iampridem , quando Arroasia , & alia terra in potestatem transiit Paganorum , & fuisset bene prouisum , si populus qui remansit ad poenitentiam rediisset , & Deum , quem præuaricatione offenderat , conuersione placasset . Nec enim subito venit ira eius , sed & vltionem differt , & tempus tribuit poenitenti . Tandem vero , qui in misericordia iudicium non amittit , vindictam suam ad poenam transgredientium & cautelam saluorum exercet .

Porro nos , qui in tanta terræ illius contritione non solum peccatum habitatorum illius , sed & nostrum , & totius populi Christiani debemus attendere ac vereri , ne quod reliquum est illius terræ depereat , & in alias etiam potestas eorum desæuiat regiones ; cum ex omnibus partibus inter reges & principes , ciuitates & ciuitates dissensiones audiamus & scandala , vt lugere cum propheta & dicere valeamus : *Non est veritas , non est scientia Dei in terra : oī. 4. mendacium , homicidium & adulterium inundauerunt , & sanguis sanguinem terigit .* Vnde hoc vniuersis & cogitandum imminet & agendum , vt peccata nostra castigatione voluntaria emendantes , per poenitentiam & opera pietatis conuertamur ad Dominum Deum nostrum , & in nobis primo quod male gessimus emendemus , deinde feritatem & malitiam hostium attendamus : & quod illi contra Deum tentare non timent , nos pro Deo agere nullatenus haſitemus . Cogitate itaque , filii , qualiter in hunc mundū venistis , & qualiter exituri estis , & qualiter transierant vniuersa , & pariter transeatis & vos : & poenitendi ac bene agendi tempus , quantum spectat ad vos , cum gratiarum actione recipite , & date vestra , date post vosipſos , quia non estis ex vobis , nec quidquam a vobis habetis , qui

## 16 GREGORII PAPÆ VIII.

nec culicem vnum potestis facere super terram. Nec dicimus , dimitte , sed præmittite in cælesti horreum quæ habetis , & deponite apud eum, apud quem ærugo ea non demolitur , aut tinea , nec fures effodiunt , & furantur ; laborantes ad recuperationem terræ illius, in qua pro salute nostra Veritas de terra orta est , & sustinere pro nobis Crucis patibulum non despexit : & nolite ad lucrum vel gloriam temporalem attendere , sed voluntatem Dei , qui pro fratribus animas in seipso docuit esse ponendas ; & ei vestras commendate diutinas , quas siue volentes , siue nolentes , nescitis tandem quibus heredibus sitis relicturi. Non est equidem nouum , quod terra illa iudicio diuino percutitur ; sed nec insolitum , ut flagellata & castigata misericordiam consequatur. Poterit Dominus quidem sola eam voluntate seruare : sed non habemus ei dicere cur ita fecerit. Voluit enim forsitan experiri , & in notitiam ducere aliorū , si quis sit intelligens aut requires Deum , qui oblatum sibi pœnitentia tempus hilariter amplectatur , & animam ponendo pro fratribus consummetur in breui , & compleat tempora multa. Attendite qualiter Machabæi zelo diuinæ legis accensi pro fratribus liberandis extrema quæque pericula sunt experti , & non solum substantias , sed & personas pro fratrum docuerint salute ponendas , exhortantes seipso atque dicentes : *Accingimini , & estote filii potentes , quoniam melius est nobis mori in bello , quam videre mala gentis nostræ & sanctorum.* Et quidem illi sub vna constituti lege fuerunt , vos per incarnationem Domini nostri Iesu Christi ad lucem veritatis adducti , & multis exemplis instructi sanctorum sine trepidatione aliqua faciatis , & non timeatis dare terrena & pauca , & breuiter duratura , quibus illa bona promissa sunt , & reposita , quæ nec oculus vidit , nec auris audiuit , nec in cor hominis ascenderunt , de quibus dicit Apostolus : *Quod non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*

Eis autem qui corde contrito & humiliato spiritu itineris huius laborem assumpserint , & in pœnitentia peccatorum & fide recta decesserint , plenam suorum criminum indulgentiam , & vitam pollicemur æternam. Siue autem superuixerint , siue mortui fuerint , de omnibus pec-

1. Mach. 3.

Rom. 8.

peccatis suis , de quibus rectam confessionem fecerint , impositæ satisfactionis relaxationem de omnipotentis Dei misericordia , & apostolorum Petri & Pauli auctoritate & nostra se nouerint habituros . Bona quoque ipsorum , ex quo crucem acceperint , cum suis familiis sub sanctæ Romanæ ecclesiæ , nec non & archiepiscoporum , & episcoporum , & aliorum prælatorum ecclesiæ Dei protectione consistant , & nullam de his quæ in susceptione crucis quiete possederunt , donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur , sustineant quæstionem , sed bona eorum integra interim maneant & quieta : ad dannas quoque usuras , si tenentur alicui , non cogantur . Nec eant in vestibus preciosis , & cum canibus , siue auibus , aut aliis quæ ostentationi potius & lasciuia , quam necessariis videantur usibus deseruire , sed in modesto apparatu , & habitu , in quo poenitentiam potius agere quam inanem affectare gloriam videantur . Datum \* Ferrariae quanto Kalendas Nouembris , indictione † sexta .

\* Apud  
Nouembris  
genesim  
habetur,  
Datum  
Feretini.

† inchoata  
videlicet.

## EPISTOLA II.

## GREGORII PAPÆ VIII.

AD OMNES FIDELES.

De ieunio seruando ad placandum Deum offensum.

*Gregorius episcopus seruus servorum Dei uniuersis Christi fidelibus , ad quos literæ istæ peruerenterint , salutem & apostolicam benedictionem .*

**N**VNQVAM melius superni Iudicis ira pacatur , quam cum ex mandato ipsius carnalia in nobis desideria extinguntur . Proinde quia Hierosolymitanæ terræ discrimin , quod irruentibus Sarracenis nuper euenit , ex peccato maxime habitatorum terræ , & totius populi Christiani accidisse non dubitamus , nos de fratum nostrorum communi consilio , multis episcopis approbantibus , statuimus ut omnes usque ad quinquennium , saltum per omnes sextas ferias , in cibo quadragesimali ieunent ; & Missa , ubi cantanda fuerit , ad Nonam cantetur : quod ab aduentu Domini usque ad natale Domini statuimus obseruandum : feria vero quarta & sabba-

Concil. Tom. 28.

C